

B. h. II, 90.  
h. 18, 16.

(X 1878230)



DISCURSUS  
*De*  
NOVEMVIRATU

Exhibens

*Controversiæ hujus Illustrissimæ ra-  
tiones tum affirmantes, tum negantes, ex ipsis  
fontibus Legum fundamentalium Imperii Romano-  
Germanici & Patriæ historiis  
desumptas.*

---

M DC XCIV.

*[Handwritten signature]*

28



*[Faint handwritten notes]*

DISCURSUS

NOVEMVIRATU

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (SAALE)

M DC XXX

*[Handwritten scribble]*

58





*De*  
**NOVEMVIRATU**  
*SUMMARIA.*

1. Præparatur Controversia.
2. Delibatur Origo ejus.
3. Proponitur Controversia.
4. In membra sua, Controversia discerpitur.
5. Ostenditur Auream Bullam ex natura rei mutari posse.
6. Examinatur membrum primum, utrum nempe novus Electoratus impingat in auream Bullam, vel Constitutiones alias Imperii?
7. Recensentur Argumenta opinionis affirmativæ.
8. Solvuntur Argumenta illa.
9. Disquisitioni substernitur membrum secundum, utrum videlicet Aurea Bulla consensu omnium statuum sit condita.
10. Adornantur Argumenta sententiæ affirmativæ.
11. Ac responsis castigantur.
12. Sub examen vocatur membrum tertium, scilicet an Novo Electoratu forma Imperii mutetur?
13. Attexuntur jura partis affirmativæ.
14. Sed discursu opposito retexuntur.
15. Sub Anatomiam trahitur membrum quartum, videlicet requiraturne ad novum Electoratum consensus omnium Statuum?

16. Partis affirmativæ Articuli explorantur.
17. Sed refutantur Argumenta, Anatomia membri hujus adhibita.
18. Expenditur membrum quartum, an sc. controversia de novo Electoratu tempore opportuno excitata fuerit?
19. Partis negativæ momenta ad balancem appenduntur.
20. Sed ut exactius ponderentur, opinionis contrariæ quoque trutina adhibetur.
21. Excutitur membrum sextum, nempe iisne meritis Dux Lüneburgicus præcellat, ut æquum fuerit, votis ejus applaudere?
22. Membrum hoc delicatum esse monetur.
23. Delibantur Argumenta sententiæ negantis.
24. Sed Responsionibus confringuntur.
25. Educuntur in aciem Argumenta, quæ pro novo Electoratu militant.
26. Sed profligantur.
27. Judicium de controversia hac Lectori defertur, ac id solum monetur, utramque sententiam videri satis probabilem.

I.

**C**ontroversiam aggredior, si difficultatem spectes, valde arduam, si originem, recentissimam, si locum natalium, non in umbris Scholarum, sed in Aulis natalam. Controversiam aggredior, cui illustrandæ, non viles animæ, non homines proletarii & capite censi, sed

sed Viri in Jure publico versatissimi, sed tribunalium arbitri, sed Ministri magnorum Principum studium & operam contulerunt. Controversiam aggredior, quæ vel sola diligenter expensa, suscepti laboris minervale satis magnum ipsa dignitatis magnitudine persolvat. Antequam vero in loca intima Controversiæ hujus penetrem, juvat in aditu paulisper subsistere ac originem litis verbulo attingere.

2. Serenissimus Princeps ERNESTUS AUGUSTUS Dux Brunswigæ & Lüneburgi dignitatem Electoralem nuper non tam prætere, quam ambire magno molimine connisus est, ac Aulam Cæsaris, & Collegium Electorum in partes suas traxit. Candidato novæ dignitatis vehementer se opposuit Collegium Principum. Vidisses in toto Imperio procellosas fatalium dissensionum nubes inhorrescere; ac uti tempestas fuliginoso in coelo diu murmurans violento tandem impetu se profundit, & furorem diu collectum in terras exonerat; sic conjecturam licebat capere, fore ut Imperium, armorum Gallicorum turbine jam ante concussum, inter belli tam interni quam externi fragores & tonitrua fatali fulmine afflatum tandem contabescat.

3. Emergit proinde controversia, possitne novus Electoratus auctoritate solius Cæsaris & Electorum consurgere? An verò consensus etiam reliquorum or-

dinum accedere debeat? Absit, ut arbitrium controversiæ hujus mihi arrogem: mallet centies vadimonium deserere, quàm de causa hac illustri vel ardua ferre judicium. Integrum tamen mihi erit argumenta utriusque partis cogere in compendium, ac sine crisi & censura propria obtutui lectoris sistere. Neque tamen committam, ut recenscam argumenta singula, quæ archistrategi utriusq; sententiæ addensant: Selectissima saltem, ac quæ difficultate præcellunt, delibabo.

4. Ut vero labor noster Lectori magis arrideat, propositam controversiam ordinatioris tractationis gratia in certa membra disseccabo. *Primum* est, utrum novus Electoratus impingat in auream Bullam, Instrumentum Pacis, vel constitutiones alias Imperii? *Secundum* sitne Aurea Bulla consensu omnium Statuum condita? *Tertium* an novo Electoratu forma Imperii mutetur? *Quartum* requiraturne ad novum Electoratum consensus omnium Statuum? *Quintum* utrum controversia de novo Electoratu tempore opportuno excitata fuerit? *Sextum* denique an Serenissimus Princeps Lüneburgicus iis meritis præcellat, ut æquum visum fuerit dignitatem Electoralem ambienti benignis calculis applaudere.

5. Illud satis certum & exploratum habeo, Auream Bullam ex natura rei posse mutari: Cùm enim naturam legis positivæ sapiat, mutari perinde potest, uti pos-

-ib

A

possunt leges aliæ, quæ arbitrio & voluntati hominum substantiam suam in acceptis referunt. Equidem sunt qui opinentur, Auream Bullam, si numerum Electorum spectes, mutari non posse, cum in Proëmio citatæ Bullæ septem Electores septem Candelabris comparentur, adeoque satis indicetur, numerum hunc sacri aliquid continere, ac sensu mystico abundare; sed comparationem constitutionis exordinandæ gratiæ adjectam ad sensum mysticum imperitè traxeris, cum sit plus quam certum, non magis numerum septenarium, quam ternarium aut quaternarium sacris mysteriis circumfluere.

Ipsam controversiam nunc pressius attingo, ac singulas partes scalpello anatomico membratim examino.

## Membrum Primum.

6. *Utrum novus Electoratus impingat in Auream Bullam, Instrumentum Pacis, vel constitutiones alias Imperii?*

7. Opinio affirmativa argumentis sequentibus circumfluit. Nam Auream Bullam si percurras, statim in proëmio numerum septenarium Electorum designari advertas.

Auræ Bullæ succinit Instrumentum Pacis, quod etsi Electoratum octavum invexerit, eam tamen legem

gem

gem adscripsit, ut nempe, extincta linea Wilhelmina-  
na ad formam antiquam & numerum septenarium  
dignitas Electoralis redeat, Electoratu octavo prorsus  
extincto. *Instrum Pac. §. 8. vers. quod si vero con-  
tigerit &c.* Ergò cum tabulis Monasteriensibus Ele-  
ctoratus Octavus ad certam conditionem coanguste-  
tur, illâque deficiente jubeatur deficere, Electoratus  
novus satis videtur prohiberi. Refragatur quoque  
novo Electoratu declaratio Ferdinandi Tertii edicen-  
tis: fore, ut novus Electoratus contra tenorem Aureæ  
Bullæ, absque consensu Ordinum, non confurgat.  
Denique novo Electoratu obsistit etiam titulus anti-  
quitatis, & observantia plurium seculorum suffragio  
munita: Tametsi enim satis non liqueat, quâ ætate  
dignitas septem Electorum illuxerit, sufficienter ta-  
men constat, multis jam seculis numerum hunc per-  
stitisse.

*Refutantur Argumenta adducta.*

8. Argumenta hæc à parte adversa in jus rapi vide-  
as; Auream Bullam reponunt Patroni sententiæ con-  
trariæ non obsistere novo Electoratu, cum numerum  
septenarium quidem indicet, non tamen determinet,  
neque prohibeat, ne Elector novus creetur. Certe  
Electores dignitatem suam Aureæ Bullæ non referre  
in acceptis, cum ante hanc conditam septemviralis  
glo-



gloria dudum effulserit, neque textum clarum occurrere, quo Electoratus ad numerum septenarium coangustetur; intactâ proinde constitutione Bullæ Aureæ creari posse novum Electorem.

Instrumentum Pacis novo Electoratus non adversari; tametsi enim tabulis Monasteriensibus legatur cautum, ut extincta Linea Wilhelmina ad numerum septenarium dignitas Electoralis redeat; satis tamen constare Electoratum Octavum placuisse sine non alio, nisi ut illo, tanquam medio, belli flamma extingueretur, & pax coalesceret.

Nullibi vero prohiberi, ne sine alio, ex motivo nimirum boni publici, Electoratus novus invehatur. Declarationem FERDINANDI III. suis coercendam esse limitibus. Cùm vero ex eo tempore declaratio illa emerferit, quo fervebant pacis consilia, merito edixisse Principem, fore ut sine consensu omnium Ordinum novus Electoratus non confurgat, cùm probè scripserit, absque consensu Ordinum pacem, ejusque articulos conscribi non posse.

Titulum antiquitatis denique novo Electoratus non obluetari; tametsi enim numerus septenarius senectutis elogio emineat; legem tamen non occurrere, quâ hic numerus determinetur; adeoque cum observantia multorum seculorum stare libertatem, invehendi Electoratum novum.

B

Mem-

## Membrum Secundum.

9. *Sitne Aurea Bulla Consensu Omnium Ordinum condita?*

10. Partem affirmativam suadere videntur sequentia Argumenta.

Nam si vel primo in limine Aureæ Bullæ consistere sustineas, in Augustum testimonium incurres, quo Carolus IV. perspicue testatur in Curia Norimbergensi, assidentibus Electoribus ecclesiasticis & secularibus, aliorumque Principum, Comitum, Baronum, Procerum nobilium & Civitatum numerosa multitudine, leges adscriptas, maturâ deliberatione præmissâ fuisse editas & sancitas, neque persuaseris tot Principes & Proceres solius pompæ gratiâ confluisse, ut nimirum promulgationi majorem splendorem accerferent. Certè cum pleraque capita Aureæ Bullæ solos Electores concernant, non videbitur summopere interesse reliquorum Procerum, constitutionem illam in lucem emergere; adeoque credere prudenter vix possis, universis Ordinibus, ut nudæ promulgationi assisterent, diem fuisse dictum.

Verosimile potius videtur, tot Principes Proceres eo fine fuisse convocatos, ut potestas eligendi Imperatoris & suffragii ad certas dignitates, certasque familias

re-

restricta, consensu omnium Ordinum ac lege perpetua  
dissensionum prævertendarum gratiâ firmarentur.

Deinde, si antiquissima tempora consideres, leges  
publicas Imperii consensu omnium Ordinum invaluisse  
advertas:

Ergo Aurea Bulla quoque modo hoc invaluit; quia  
verosimile non videtur, constitutionem nobilissimam,  
ac quæ gravitate materiæ omnes forte alias antecellit,  
neglectis Procerum suffragiis, minore pompâ & studio  
fuisse conditam. Adhæc Carolus IV. in dicto præmio  
perspicue asserit, Electores Principes & Proceres alios  
in Curia Norimbergensi confedissee; sine dubio non eo fine,  
ut poculis certarent, vel otio marcescerent, sed ut de  
negotiis Aureæ Bullæ consultarent; cum fine non alio  
Comitia celebrentur, nisi ut negotia Imperii in consultationem  
veniant.

Accedit quod plerique Interpretes Juris publici doceant,  
Auream Bullam consensu omnium Ordinum fuisse conditam.  
Opinionem vero hanc eo jam tempore invaluisse advertas,  
quo nondum emerfit præsens controversia, atque adeo quo soli  
veritati, absque studio partium vacare licuit.

*Infringuntur Argumenta proposita.*

II. Hæc quoque argumenta ab iis, qui sub Electo-

B 2

rum

rum vexillis militant , ex postulationibus percelli intelligat. Fatentur illi quædam capita Aureæ Bullæ ( primum forte & secundum ) communi consensu Ordinum fuisse condita. At totam Auream Bullam, singulasque ejus partes, suffragiis omnium Ordinum invaluisse in vim legis pragmaticæ, illud falsum videri contendunt, ac ut asserto suo colorem inducant, argumenta sequentia commendant : Patere enim ad oculos Imperatorem non uno saltem loco Electorum tantum recordari. Statim *in cap. 4. §. 2.* testari, quæ illic recensentur adhibito consilio Electorum fuisse decreta.

*In cap. 12. §. 2.* Quando de Curia Norimbergæ habita, Princeps disserit, etsi Electorum & aliorum Procerum mentionem faciat; ubi tamen ad consultationem præviam digreditur, Electorum tantum recordari.

*In cap. 16. §. 1.* Ubi agitur de Pfalburgeris, non suffragia omnium Ordinum, sed consilium solorum Electorum constitutioni commendandæ obtendi. Denique in *cap. 24. & seq.* ubi leges in Curia Metensi promulgatæ recensentur, mentionem de solis Electoribus non etiam de Ordinibus reliquis occurrere; Neque opponi posse illa tantum capita cum solis Electoribus fuisse in consultationem deducta, quæ ipsos  
fo-

folos, eorumque jura domestica concernebant. Nam in citato cap. 12. decerni ut annis singulis Electores conveniant, ac de Imperii Orbisque salute tractent; nec tamen absque nota dementiæ posse asseri, curam Imperii, totiusque Orbis solis Electoribus incumbere.

Equidem plerasque Imperii constitutiones suffragiis omnium Ordinum fuisse conditas. Cum vero Aurea Bulla potissimum Jura Electorum & functiones eorum concernat, mirum non videri, de plerisque Articulis cum his solis deliberationem fuisse susceptam. Certè à nemine nisi qui Auream Bullam nunquam inspexerit, posse asseri, singula capita memoratæ Bullæ consensu omnium Ordinum illuxisse, cum Imperator *in dict. cap. 12. §. 2.* perspicue declaret ea, quæ illic ordinantur, non ultra suum, Electorumque placitum duratura.

Testari quidem Carolum IV. in dicto proëmio Electores, Principes, & Proceres alios in Curia Norimbergensi confedissee. At non sequi, confedissee nudæ pompæ gratia, ac ut otio diffluerent. Certè si vel sola duo prima capita cum Ordinibus omnibus in consultationem venerint, non licuisse Proceribus indulgere otio, aut commestationibus tempus absumere.

Authoritatem interpretum frustra obtendi; exploratum

ratum enim esse : Doctorum dicta edictorum gloria non fulgere; deinde antequam Controversia hæc emergeret, tantam curam non fuisse impensam, ut Conditores Aureæ Bullæ innotescerent, præmio quoque plerosque fuisse deceptos, ut crederent, consensu omnium Statuum Bullam illam increvisse, cum tamen, si totus contextus ponderetur, manifestum evadat, opinionem illam in plures scopulos incurrere.

Denique Carolum IV. in dicto præmio Nobilium quoque recordari, quibus tamen, ætate illa Jura Comitiorum non adhæserint.

## Membrum Tertium.

12. *An Novo Electoratu forma Imperii mutetur?*

13. Ita videtur fanè. Nam Electorale Collegium pertinet ad formam Imperii, ergo etiam numerus Electorum; adeoque si iste mutetur, mutari videtur forma Imperii.

Deinde si numerus Collegiorum cresceret, ac Collegiis hæctenus receptis adjungeretur aliud, Nobilium v. g. nemo iverit inficias, mutari formam Imperii: ergo idem obtinere dixeris, si crescat numerus Electorum.

Ad hæc si Electio Imperatoris ad antiquam formam  
re-

reverteretur, ac universi Proceres, ut olim, Cæsarem eligerent, pervicacissimus quisque fateretur formam Imperii mutari: ergo mutatur etiam si numerus Electorum incrementa capiat.

Denique Electio Imperatoris pertinet ad formam Imperii: ergo etiam numerus Electorum, quia ex votis eligentium aestimatur electio, ac vel in nihilum fatiscit vel robur capit. Certe non potest augeri numerus eligentium nisi increseat simul electionis difficultas, ac majoribus dissidiis janua recludatur, quam tamen occludi interesse videtur Imperii.

*Enervantur Argumenta recens allata.*

14. Sed his etiam Argumentis partem adversam obtrectare advertas. Reponunt illi, qui Electorum causam sustinent, Collegio Electorum integrari quidem formam Imperii, non verò integrari numero Electorum. Nam etiam Collegium Principum pertinere ad formam Imperii, nec tamen formam hanc mutari, si Collega aliquis in Senatum Principum cooptetur: Gratis ergo asseri, mutato numero Electorum mutari formam Imperii.

Certè formam externam mutari posse illæsa substantia; numerum verò eligentium pertinere solum ad formam externam; non enim Jura, non prærogativas alias Collegii Electoralis vel minui, vel augeri, sed  
omnia

omnia in statu pristino, sive Electores inter se, sive cum Cæsare, sive cum Collegio Principum velit agere.

Neque multum referre, ab octo vel novem Electoribus Imperator ad clavum Imperii evehatur.

Deinde diversam esse rationem novi Electoris & novi Collegii. Compagem antiquam Imperii non interverti, si novus Elector assumatur: interverti verò, si novum Collegium consurgat, cum tota fere potestas, qua temperatur Imperium, quatenus speciem refert unius Reipublicæ, in capite & tribus collegiis resideat.

Formam antiquam Imperii absque dubio non duraturam, si potestas eligendi Cæsaris ad omnes ordines reverteretur: fore enim, ut Collegium Electorum desinat. Lege publica Imperii expresse præcipi, ut per electionem supremum caput designetur, adeoque respectu hoc posse asseri, Electionem Imperatoris pertinere ad formam Imperii. At textum expressum non occurrere, quo numerus septenarius determinetur vel cernatur piaculum fore, si plurium Electorum suffragiis Elector designetur.

Electionem Imperatoris difficiliorem quidem fore, si collegium Electorum nimis crescat, ac Electores ambitione vecordes immortalibus dissidiis distringantur; difficultatibus verò & morbis statum Reipublicæ concuti quidem, non autem mutari.

Mem-



## Membrum Quartum.

15. *Requiraturne ad novum Electoratum consensus omnium Statuum?*

16. Parti affirmativæ sequentia argumenta suffragantur; nam: 1. Electoratus Octavus in Comitibus Monasteriensibus, consensu Imperatoris, & omnium Ordinum invecus fuit. *Instrum Pac. §. 8. vers: quod ad domum Palatinam &c.* Ergò ut novus Electoratus efflorescat, non sufficit solus consensus Imperatoris & Electorum.

2. Cautum legitur, tabulis Monasteriensibus Ordines omnes toties gaudere jure suffragii, quoties agitur de negotio Imperii: *Instrum. Pac. §. 8. vers. gaudeant.* Ergo gaudeant etiam, si novus Electoratus in consultationem veniat, quia videtur negotium Imperii.

3. Videtur juris dubii, utrum constitutione Aureæ Bullæ numerus Electorum ità determinetur, ut numerus major excludatur; ergo interpretatio constitutionis hujus pertinet ad Comitibus, quia absque suffragiis omnium Ordinum leges publicæ neque ferri possunt; neque interpretatione temperari. *dicto §. 8. vers. gaudeant.*

C

4. Ar-

4. Articulo secundo Capitulationis Leopoldinae promittit Imperator, quod Auream Bullam, cum extensione Octavum Electoratum concernente, ac per Instrumentum pacis inuenta, servare velit inconcusam, neque pati, ut absque consensu Ordinum mutetur. Ergò cum Aurea Bulla septem Electores designet, ac extensio per Instrumentum pacis inuenta hanc limitationem contineat, ut nimirum extincta Linea Wilhelmiana novus Electoratus desinat, censetur Imperator promittere, se non passurum, ut numerus septenarius per Auream Bullam expressus cum extensione per Instrum. Pac. inuenta absque consensu Ordinum mutetur.

5. Numerus Electorum augeri non potest, nisi interversa possessione Statuum; quia Octavus Electoratus auctoritate & consensu omnium Ordinum invaluit: ergò cum ad possessionem fundandam actus unicus sufficiat, ex eo tempore in materia novum Electoratum concernente, possessio suffragii ferendi omnibus Ordinibus suffragari coepit: à qua proinde sine piaculo deturbari non possunt.

*Coercentur haec Argumenta discursu contrario,*

17. Sed neque hisce Argumentis arma submitunt pugiles, qui stant pro Electoribus: obtendunt illi,  
Octa-

Octavum Electoratum effloruisse quidem consensu omnium Ordinum, sed ideo, quod per tractatum pacis in vectus fuerit; Pax verò sine consensu Ordinum pangi nequeat.

Deinde non censeretur negotium Imperii, si Collega aliquis in Senatum Principum cooptetur, adeoque neque illum actum accensendum esse negotiis Imperii, si Princeps aliquis cooptetur in senatum Electorum.

Occurrere tempora, quibus Proceres omnes Imperatorem elegerint, facultatem illam etsi plerique non usu & negligentia amiserint, durum tamen videri, antiquo Jure suo ità excidisse Proceres, ut ne quidem consensu eorum, quibus jus illud accrevit, ad prærogativam pristinam reverti possint.

Interpretationi legum publicarum destinata quidem esse comitia, sed ad interpretationem authenticam ità demum devolandum esse, si dubium occurrat tam pertinax, ut modis aliis tolli nequeat, si vel usus vel doctrina constitutioni lucem affundat, abundare interpretationem authenticam; usus verò si spectetur, exempla succurrere, quæ satis arguant, novum Electoratum, consensu omnium Ordinum *non egere*: Certè *Carolus V.* dum Mauritium in locum Iohannis Friderici surrogaret, assidentibus solis Electoribus præcepisse, ut Mauritius accederet. *Maximilianum I.*

quoque & Principem Transylvaniae, cum novo Electoratu studerent, apud solos Electores instituisse, ideo procul dubio, quod agnoscerent, consensum reliquorum Statuum videri *superfluum*. Ad hæc si Aurea Bulla oculatius expendatur, certum videri numerum septenarium non ita determinari, ut numerus major interdicto prohibitorio improbetur. Cum ne apex quidem hujus interdicti occurrat. Capitulationem *Leopoldinam* prorsus non obfistere: etsi enim articulo secundo promittat Imperator, quod Auream Bullam cum extensione per Instrum. Pac. inducta, & octavum Electoratum concernente, absque consensu Ordinum mutare nolit; jam ante tamen fuisse ostensum, neque Auream Bullam, neque Instrum. Pac. novo Electoratu reclamare.

Argumentum quintum sub mole propria fatiscere, Electoratum enim Octavum non solo consensu Ordinum, sed auctoritate quoque exterorum Principum illuxisse. Adeoque si argumentum stet inconcusso robore, sequi novum quoque Electoratum sine auctoritate exterorum Principum non posse efflorescere. Certè à dignitate Electorali, cujus stabilimentum necessitas temporum, diuturna belli calamitas, & pacis amor suaferat, argumentum non posse duci ad Electoratum, ad quem Electores nullâ compulsi necessitate solo studio utilitatis publicæ processerint, ut

ni-

nimirum periculis præsentium temporum, ut incolu-  
mitati Imperii, ut denique splendori Collegii Electo-  
ralis consulerent.

## Membrum Quintum.

18. *Utrum Controversia de novo Electoratu tem-  
pore opportuno excitata sit?*

19. Qui partem negativam calculis suis cohone-  
stant, sequentibus argumentis procedunt in aciem :  
Prædicta controversia eâ tempestate emerfit, qua na-  
vis Romani Imperii turbine bellorum concussa fluctua-  
bat inter mille discrimina, velut hodieque fluctuat.  
Sæviebat ex una parte Mars Gallicus, ut jam mucro  
inhærere videbatur lateri, ut Germaniæ visceribus  
mergeretur. Ex altera vero parte prævidere licuit,  
fore ut Imperium occasione dissidii hujus in partes  
scissum, ac internis motibus convulsam, externæ po-  
tentia succumberet. Salus publica proinde videbatur  
exposcere, ut quæstio hæc delicata ardua & turbis ob-  
noxia suspenderetur, donec pacatiora tempora suc-  
cederent.

Deinde, Electoratum Octavum amor pacis, quæ-

medio alio coalescere non poterat, adeoque inevitabilis necessitas Imperatori & Statibus Imperii extorsit, Electoratum nonum verò tanta necessitas non commendavit. Certè sperare non licuit, fore ut in gratiam novi Electoris aut hostis Christiani nominis ab armis desistat, aut Rex Galliaë ad æquas pacis conditiones deflectat; ergò cum non obstante necessitate publica, Ordines Imperii ægerrime consenserint, ut Electoratus octavus confurgeret, non videbatur ratio, cur nono Electoratuui vota sua consecrarent.

20. *Infirmantur hæc Argumenta admoto ariete.*

Sed hæc quoque argumenta ungue censorio perfri-  
cantur. Prætexunt ii, qui Electorum causam orare sustinent, consilia de novo Electoratu ideo fuisse suscepta, ut Imperii navis bellorum fluctibus agitata potenti subsidio firmaretur, si consilium, promovendæ felicitati publicæ susceptum, despumet in discordias, mali originem in eos redundaturam, quorum immaturus fervor occasionem dedisset internis motibus. In Electoratum ægre consensisse Proceres, quod in Comitibus Monasteriensibus communi Ordinum consensu cunabula sua traxerit; experientia verò constare fatis difficulter tot capita opinionum suarum plerumque pervicacia, ac de commodis propriis, quàm salute  
pu-

publica magis sollicita, in commune consulere. Etsi verò necessitas illa non militaverit, quæ octavum Electoratum extorserat, utilitatem tamen publicam persuasisse Electoribus, ut in vota Ducis Lüneburgici secundis ventis navigarent; neque omnino defuisse titulum necessitatis publicæ: posteriora tempora satis comprobare, in quanto periculo versetur Romanum Imperium. Gallum armorum gloriâ præferocem, toti quasi Europæ insultare ac ubique fere prævalere. Cæsarem bello orientali ità distringi, ut molem potentia exonerare nequeat in occidentalem. Rhenum non servire amplius Germaniæ loco propugnaculi.

Belgium Hispanicum in extrema fortuna stare, si jam Belgio domito vires dispersas colligat, ac formidabili exercitu irruat in terras Imperii, magnam Germaniæ partem turbini armorum succubituram, nisi Principes Imperii, illi præsertim, qui potentia præcellunt, proscripta simultatum vecordia unitis viribus & animis periclitanti Patriæ succurrant; Ideò Principi Lüneburgico detulisse Electores, quod salutis publicæ potenti manu hætenus succollaverit, ac hodieque adversus hostes Imperii valida subsidia subministraret.

\* \* \*

Mem-

## Membrum Sextum.

21. *Utrum Serenissimus Princeps Luneburgicus iis meritis præcellat, ut æquum fuerit dignitatem Electoralem ambienti benignis calculis applaudere?*

22. Merita magnorum Principum vocare sub examen labor videtur & odio & temeritate plenus; ego eâ modestiâ, quâ possum, materiam hanc tangam, ac ne illa quidem, quorum copiam acta publica subministrant, sine ingenti cautela & magno delectu adscribam.

23. Partem negativam argumenta sequentia commendant, nam sive potentia, sive majorum famosæ imagines, sive prærogativæ aliæ spectentur, cum Regibus Daniæ & Sueciæ Princeps Lüneburgicus vix est, ut possit contendere. Ergo cum senatum Principum memorati Reges non sunt dedignati, his potius dignitatem Electoralem offerre decuit. Cassellanus quoque ac Principes plures alii occurrunt, qui & vetustate profapiæ, & rerum à majoribus gestarum gloria, & potentiæ magnitudine ità eminent, ut Principi Lüneburgico vix assurgant: ergo ab his quoque prætendi posset dignitas Electoralis, si merita Principis Lüneburg-



burgici digna sint visa, quibus Collegium Electorale applauderet.

Deinde si Dux Sabaudiaë dignitate, splendore natalium ac meritis Principi Lüneburgico fortasse non inferior, Electoratum ambiret; nemo Electorum forte consentiret, cur ergo Duci Lüneburgico vota Electorum suffragentur?

Ad hæc MAXIMILIANUS I. Imperator de universo Imperio præclare meritis, cum vota Electorum eblan-  
diri conaretur pro nova dignitate Electorali, quam domui Austriacæ destinaverat, repulsam tulit, Betlem Gabor quoque cum Electoratum affectaret, surdis auribus exceptus fuit, etsi promitteret totum Hungariaë Regnum Imperio fore obnoxium.

Denique novus Electoratus cedere videtur in dispendium Religionis Catholicæ, quia numerum Electorum Protestantium augeri videas: ergo si deficeret Linea Wilhelmiana, atque adeo Electoratus ille defineret, possent eniti Electores Protestantes Imperatorem suæ religionis intrudere. In collegio Electorali quoque cum Rex Bohemiaë constitutionibus negotia Imperii concernentibus interesse non soleat, auctoritas Protestantium incrementa caperet.

\* \*  
\* \*

D

Ar-

*Argumenta hæc aduerso Marte profligantur.*

24. Sed horum quoque argumentorum fidem labefactare satagunt, qui suffragia novo Electoratu sacra velut oracula depereunt. Respondent illi: Reges Daniæ & Sueciæ eminere quidem potentia ac prærogativis aliis, non constare tamen, quod dignitatem Electoralem hæctenus affectaverint; consilio vero & motu proprio dignitatem hanc iis obtrudere, collegio Electorali non fore satis honorificum. Landgravium Hassiæ quoque & Principes alios Electoratu dignos censerit, at non tulisse rationem publicam, ut tot Principes ad culmen hoc pertingerent, adeoque evenisse, quod in electionibus plerisque solet accidere, ut nimirum inter plures dignos unus solus primas rapiat.

De Duce Sabaudiaë etiam non constare, quod dignitatem Electoralem hæctenus ambiverit; *Maximiliani* votis idcirco non detulisse Electores, quod potentiam Domus Austriacæ ægris oculis jam tunc multi suspectaverint, conjectura ducti, fore ut Regno Bohemiæ aliisque incrementis aucta nimis ingrandescat; Principem Transylvaniæ ideo displicuisse, quod res plena periculi visa fuerit, Principem extraneum, modicæ fidei, ac turbis assuetum irrepere in senatum Imperii. Denique novum Electoratum Religioni Catholicæ non officere, cum extinctâ etiam

Li-

Linea Wilhelmiana, ac secluso Rege Bohemiæ suffragia Catholicorum numero prævaleant.

## Argumenta

### *Pro novo Electoratu subnexis*

#### *Responsionibus coërcita.*

25. Hactenus argumenta novo Electoratu adversa cum responsionibus suis recensui. Ut vero integra sit controversia, cujus merita adornare hucusque statui; lubet quoque argumenta pro novo Electoratu cum responsionibus suis dilucida brevitate subnectere. Novo Electoratu neque constitutiones publicas Imperii, neque rationes alias obsistere hisce argumentis suadere satagunt.

Num. I. Aurea Bulla, licet septem Electores enumeret, nullibi tamen numerum hunc determinat, neque interdicit, ne plures assumantur; ergò nova dignitas Electoralis non impingit in constitutionem Aureæ Bullæ; adeoque libertas assumendi novum Electorem manet inconcussa.

2. Aurea Bulla numerum septenarium Electorum non invexit; sed consuetudine, vel titulo alio investum solum recepit, confirmavit, & tabulis publicis

communivit : Ergò non videtur verosimile , quod ad numerum hunc voluerit adstringere.

III. Instrumentum Pacis Electoratus Octavo præfigit quidem certum terminum , ac jubet , ut extincta Linea Wilhelmiana expiret ; at non prohibet , ne interim ex motivo boni publici Electoratus alius & novus introducatur : Ergo salvo Instrum. Pac. augeri potest numerus Electorum.

IV. Electores non potestate vicaria , ac nomine omnium Statuum , sed jure proprio Imperatorem eligunt , ideoque non expectant , donec accedat mandatum Ordinum : Ergo sicut prærogativæ aliæ , quæ competunt jure proprio , communicari possunt personæ habili authoritate propriâ , sic etiam potestas eligendi Imperatoris.

V. Si Senatus Principum cooptare velit novum Collegam , non tenetur eniti , ut Civitates consentiant , istæ jure suffragii cæteroquin gaudeant : Ergo etiam , si Senatus Electorum cooptare velit novum Collegam , elaborare non tenetur , ut consentiat Collegium Principum.

VI. MAXIMILIANUS I. & Princeps Transylvaniae cum novo Electoratus studerent , apud solos Electores , non apud Collegium Principum , neque Senatum Civitatum negotium hoc urserunt : Ergo agnoverunt , de novo Electoratu tanquam de materia domestica Electores solos posse disponere.

Re-

## *Retunduntur hæc Argumenta discursu contrario.*

Sed Argumenta adducta, eorumque authoritatem sequentibus responsis obtundi videas: Auream Bullam ingeminant ii, qui Principum Jura statuminare properant, clausulâ quidem expressâ instructum non esse, quâ numerus major vetetur: Aliunde tamen satis constare hanc mentem insedisse constitutionis illius conditoribus; prædicto enim sensui suffragari, & declarationem FERDINANDI III, & commune consultum Ordinum in Comitibus Monasteriensibus 1647. 31. Martij consensu omnium Statuum emissum: inde sufficienter colligi, Auream Bullam ita fuisse intellectam, ut numerum alium quam septenarium existimetur interdicere. Equidem ab Electoribus jure proprio Imperatorem eligi, at liquere ex adductis juribus, novo Electoratu Auream Bullam obsistere.

Instrumento Pacis novum Electoratum, eo ipso prohiberi, quod constitutio jubeat, ut cessante linea Wilhelmiana Electoratus exspiret.

Ab Electoribus jure proprio quidem Imperatorem eligi, neque Electionem retardari, donec Mandatum Ordinum accedat. Referre tamen omnium Statuum, à quot Electoribus negotium hoc summè arduum tem-

peretur, ne si numerus nimis exerescat, inter schisma-  
ta & perpetuas dissensiones Imperii navis fluctuet.

A Senatu Principum duci non posse Argumentum  
ad Collegium Electorum; Legem enim publicam  
non occurrere, qua determinetur numerus Electro-  
rum. MAXIMILIANUM I. & Principem Transylva-  
niæ solis Electoribus acta sua commendasse: pruden-  
ter fanè, ut nimirum, si adversos animadverterent,  
absque minore honoris dispendio à proposito desiste-  
rent; at propensione eorum cognita futurum fuisse, ut  
apud plenum Imperii Senatum causam urgerent.

27. Hucusque Jura utriusque partis retuli: tametsi  
verò fundamentis hinc inde cognitis videatur facilius  
judicium ferre de controversiæ hujus meritis, quam  
aquam maritare igni, aut vitibus brassicas indignante  
Lyæo: Ego tamen judicium lubens suspendo, ac Le-  
ctori configno. Illud dissimulare nolim, utramque  
sententiam videri satis probabilem; quibus autem  
prærogativis opinio probabilis emineat, Lectori eru-  
dito satis erit cognitum:

*Ego*

*Manum submoveo de Tabula.*





QK TA 2192

MC





*B. M. II, 90.  
h. 18, 16.*

NOV

*Controver  
tiones tunc  
fontib*

ATU

*simæ ra-  
s, ex ipsis  
mano-*

II K  
2132

28

